



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 6. Linguæ varia vitia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

est sagittarius, pestifera sagitta in arca est; nervi ipsi quam maximè intenti. Idem in Quadrag. jej. unij silentium. Deus bone! in quantos te ulus dives lingua dispergit; cum voluerit, sævit ut bestia, currit ut fluvius; fluctuat ut profundum: & quamcunque peccatis verborum imaginibus pingit speciem, veri ad stipulatione præsentat. Felix l. 1. ep. 1.

Facilius, si necesse est, quilibet ferre potest armatas ferrò acies, & instructas rebus bellicis legiones. Quis autem sustineat labiorum tela infixæ pectoribus? facilius sine dubio recipiunt sanitatem corpora ferrò lacerata. D. Valerianus hom. 5. de bono disciplina.

Turpe est valde, quòd lingua canis est medicinalis; ut sanet vulnus omne, quod tangit; & hominis rationalis sit lingua mortalis, inficiens omne, quod dicit. S. Bonavent. l. 81.

## §. VI.

*Lingua varia vitia.*

**ERAT autem tempus** &c. Num. 13. 21. Exhortatio hæc contigit sub initium Junii (tunc enim in Palestina, utpote regione calidâ maturæ sunt uvæ) annò secundo exitus ex Ægypto. Transierat enim jam annus unus, & tres menses, ab hoc exitu: tuncque post paucos dies Hebræi ingressuri fuissent Chanaan, nisi murmurâssent: hæc enim murmuratio ingressum eorum distulit usque ad triginta octo annos Cornelius hic.

**Misit Dominus in populum ignitos serpentes.** Num. 21. 6. Quare à serpentibus perierunt? nisi quia serpens venenosus est: & omnis, qui murmurat, venenum diaboli habet, in lingua. Unde Jacobus Apost. *lingua inquietum malum, plena venenò mortifero.* S. Bernardus l. de modo vivendi. Did. del Castillo Il. lat. 181.

**Suffratoria. Cucurrit puer, & nuntiavit Moysi.** Num. 11. 27. Talis suffurro Doëg 1. Reg. 22. 9. Vide filium Isai in Nobe. Nuntiatumque est Saul à dicentibus: *ecce David &c.* 1. Reg. 19. 19. *Nuntiatumque est Holoferni:* suffurrones hi referunt, quod odium excitet affectu nocendi. Judith 5. 1. *Viri isti consemperunt, Rex, decretum tuum.* Dan. 3. 12.

**Impudica.** Sepulchrum patens est lingua impudica, quæ loquitur de luxuria, & spurcicia. Apoc. 9. de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur. Hugo Card. in Pl. 13. Vide tit. sermones.

**Adulatoria.** Lingua adulatoria est venenum aspidum sub labiis; quod facit hominem obdormire, & mori. Idem ib.

**Superba.** Dominum disecat lingua nostra imitari. Quod si faciemus; non dubito, quin

ante tribunal Christi magna cum fiducia stabimus: ubi, nisi quis in hac vita humiliter loqui didicerit, non intelligitur tunc à Christo. Quemadmodum enim, si Romanus fuerit Judex, non percipiet rationes tuas, nisi Latine loquaris: sic etiam Christus non audit, nèque attendit; nisi linguâ suâ utaris. Non libentius Prophetarum ora, quam humillimum hominem Dominus osculatur. S. Chrysost. hom. 79. in Matth.

**Garrula.** Loquacitas ignorantia certum est argumentum, mendacii opifex, compunctionis desolatio, somni præcursor. Joan. Climacogr. l. 1. de garrulitate.

## §. VII.

*Lingua bona, sancta &c.*

**Diffusa est gratia in labiis tuis.** Pl. 44. 1. Venit nobis cum Verbo gratia, cum osculo gratia. Quid ista gratia dulcius? S. Augustinus hic.

**Linguis loquentur nobis.** Marci 16. 17. Novitas linguarum ad novitatem pertinet vitæ; in qua cantamus Domino in hymnis, & psalmis, canticum novum. Simon Cass. l. 4. hic. Quamdiu homo turpibus, & vanis, sermonibus invenit; vetera verbaloquitur: cum autem ad laudes Dei convertitur; quasi linguis novis loquitur; Haymo hom. in Alcenf. D. Novis linguis loquitur, qui solita vaniloquia, scurrilia, vitiosaq; verba, devitans, incipit loqui salutaria, Deum laudare, proximum informare, jugiter orare, Dionys. Carth. hic.

**Qui erat mortuus, cepit loqui.** Luc. 7. 15. Signum certum resurrectionis est, loqui discretè: quia nec spiritus malignus ingressus corpus mortui posset discretè loqui. S. Vincent. Ferr. D. 16. Trinit. f. 3.

**Apparuerunt illis dispersa lingua.** Act. 2. 3. Venit super Discipulos in linguis igneis, ut verba ignea loquerentur; & legem igneam linguæ igneæ prædicarent. S. Bernardus l. 1. in Pent.

Mordere scommatis, præcul est à Christiano. Linguam habes; non ut alios salibus tuis mordeas, sed ut Deo gratias agas. S. Chrysost. l. 17. in ep. ad Eph. c. 5.

Quemadmodum oportet thuribulum nihil habere immundum, sed solum ignem, & suffitum: ita, etiam linguam nullum oportet profere verbum, quod sit ullâ maculâ, aut labe, respersum. Sit ergo os tuum thuribulum. Idem in Pl. 140.

Lingua hujus Mundi variæ sunt; Christiani verò vel nunc unam edificant linguam; & omnes sub una specie erudiuntur: sapientia nimirum divinâ, trivis Mundi. S. Macarius hom. 32.

